

Universitätsbibliothek Paderborn

**Westphalia Sancta, Beata Et Pia, Sive Vitæ Eorum Qui sua
sanctitate et piis exemplis Westphaliam illustrârunt**

Complectens eorum vitas, qui certò aut verisimiliter Natione Westphali
reperiuntur cum titulo Sancti aut Beati

Strunck, Michael

Neuhusii, 1715

B. Roto L. B. de Büren, Episcopus Paderbornensis Ordinis S. Benedicti

urn:nbn:de:hbz:466:1-28481

modestè compositis , erecta fronte , demissis
oculis , additòq; Angelo , qui Beatam illius
animam in cœlum transferat . Supernè in-
scripta sunt hæc verba : Reinildis obbt . Cir-
cum circa adjecti hi versiculi :

*Fundant quique preces pro Virgine quæ fuit
hæres*

*Patris defuncti ; genitrix quam sponte secundi
Conjugis occidit : mox percipiendo subivit
Sidereas sedes , Christi pia facta cohæres.*

B. ROTHO
L. B. de Büren , Episcopus
Paderbornensis , Ordinis S. Bene-
dicti.

Refertur cum titulo Beati in ordine Episcoporum
Paderbornensem impresso auctoritate Hermanni
Wernerii Episcopi anno 1688. Item à Nicolao Schat-
tentio. i. Annal. & à D. Gerardo Ioanne à Bentini
in Chronologia generali. Bernardus 4tus Episc.
Paderb. in tabulis publicis anno 1237 in lucem da-
tis , recitatìsq; à Schattenio to. i. Annal. pag. 581,
eum exornavit titulo Sancti , jubens , ut cereus
de libra & media in anniversario S. Rothonis
& aliis æqui ponderis in anniversario S. Ima-
di Episcorum ponantur ad eotum tumbas.

Imag

missis
illius
nè in.
Cir.
æ fui.
Secundi
vit
pus
scopor.
mann
Scha.
enting
Epis.
em da.
g. 581
cereus
honis
. Ima
mbas
Imago ejus picta cum radiis cernitur in ejus tum-
ba, quæ in choro Ecclesie Cathedralis etiam nunc
extat ad dexterum muri latus: aliæ ejusdem ima-
gines cum titulo Beati exhibentur in domibus Bu-
rana & Geistana. Vnde etiam Continuatores Bol-
landi in Actis Ss. ad diem 28 Iunii, in notis ad c. 2.
vitæ S. Heimeradi lit. 1. promittunt se de eo actu-
ros ad diem 6 Novembris, quo obiit. Nomen ejus
diversimodè refertur ab authoribus, quorum alii
Rothardum, alii Rudolphum, alii Ruodonem vo-
tant. Fuit è vetustissima familia Baronum de Bü-
ren: an autem ex ea, quæ in Diœcesi Paderana se-
dem antiquam habuit; an verò ex alia, quæ ab
hac in Geldriam transplantata est, uti volunt Bru-
schius & Kerssenbrochius, adhuc dubium & in-
certum est. Nobis ad eum Westphaliae nostræ asse-
rendum satè est, quod à nostrate familia de Bü-
ren dudum inter suos agnitus & computatus fue-
rit: uti constat tum ex Genealogia Büranorum à
Religiosissimo viro & Patre Mauricio de Büren
Soc. Iesu edita; tum ex Epitaphio, quod anno 1400
ejus sepulchro adjecit Henricus L. B. de Büren Ca-
thedralis Ecclesie Paderbornensis Præpositus, ubi
inter alios istius ævi rudes versus ita legitur:

De Büren natus Præsul, qui Rotho vocatus,
Nos annis rexiter quinis, bene protexit.

Quæ de piissimo hoc Antistite dici pos-
sent, plurima ex parte nobis substraxit
incuria Scriptorum veterum. Natus est ex
antiquo sanguine Baronum de Büren, quo-
rum perillustre genus jam à diuturnis tempo-
ribus in Westphalia commendatum fuit. Vi-
tam Monasticam initio complexus est in mo-
nasterio Stabulensi, cui per ea tempora S.
Poppo primùm Stabulensis, pòst etiam S.
Maximini prope Treviros Abbas piissimè
præsidebat. Inde postmodum agente eodem
Poppone evocatus est ad regimen Abbatiz
[a] Hersfeldensis in Hassia, ut eam discordia
fratrum nonnihil perturbatam disciplinæ ac
fervori pristino restitueret. Quantum tem-
poris in hoc officio perstiterit vir devotissi-
mus, prior ætas incertum reliquit posteris.
Id solum constat ex vita S. Heimeradi, eum
tantâ sapientiâ & morum sanctitate Mo-
nasterio huic prætulisse, ut ipsum religiosi om-
nes non alio, quām patris amantissimi loco
venerati sint. Interea anno 1036 truculenta
mors rapiebat è vivis B. Meinwercum Eccle-
siæ Paderbornensis laudatissimum Præsulem
cujus in locum dum Conradus 2dus Impera-
tor virū quæreret huic muneri gerendo per-
idoneum

[a] Alii scribunt Herveldensis.


idoneum , ità præ aliis placuit B. Rothonis
perspecta virtus , ut in ejus caput hærentem
adhuc infulam statuerit inclinare. Nec de-
fuit ille sublimibus desideriis , quæ de illius
sanctitate in suorum subditorum animis præ-
cucurrerant. Vitæ genus , cui mentem suam
in monasterio assuefecerat , etiam in Episco-
pali purpura constanter tenuit , quantum oc-
casio permittebat : curis negotiisq; publicis ,
quæ ad forum sœculare pertinent , haud mul-
tum se immiscuit , clericali solùm disciplinæ
& rebus Ecclesiasticis rite componendis in-
tentus : Ecclesias Horhusanam infra [b] E-
resburgum , & Sudborchensem à Wolfgang-
o 2do Abate Abdinghoviano constructā
anno 1043 solennibus cœremoniis consecra-
vit : fontem , qui adhuc Rothonis dicitur
(vulgo Rotherborn) ad descensum Cathedra-
lis Ecclesiæ intra Paderbornam , sua pontifi-
cali benedictione variis morbis salutarem fe-
cit : tandemq; Episcopatu suo ad annos se-
decim sanctissimè gesto ad vitam immortalē
evolavit anno Christi 1052 , die 6 Novembris.
Ossa ejus , quæ primū in navi basilicæ Ca-
thedralis , à B. Meinwerco de novo conditæ ,
tumulata fuerant , postea ob eximiam sancti-

S 4

tatis

[b] Alias Stadberga.

tatis famam translata sunt ad chorum superiorem, collocataq; ad dexterum muri latus, ubi adhuc ejus monumentum cernitur variis Divorum imaginibus illustratum, quos inter media B̄ma Virgo amplectitur cæteros patronos ac conditores cum his eorum inscriptionibus : *S. Leo* *hujus Ecclesiæ consecrator*, *S. Liborius* *hujus Ecclesiæ patronus*, *S. MARIA* *patrona*, *S. Kilianus* *patronus*, *B. Meinuvercus* *reparator*, *S. Karolus* *fundator hujus Ecclesiæ*. Circum Rothonis pulvillo incumbentis caput etiam circumducti sunt radii, quales in Ss. imaginibus passim depingi solent. Apposita est statua B. Virginis, ad cuius dexterum latus procumbit B. Rothonis pater adjecto signo gentilitio Baronum de Büren; ad sinistrum ejusdem mater, in cuius scuto insculpta est rosa: unde forsan liceret conjectare, eam ex prosapia Comitum Lippiensium ortam esse.



S. STE.